

Capitulum septimum

homo. vel animal non autem forma vel materia est in predicamento hoc modo nisi per reductionem sicut principia in genere predicamentorum esse dicuntur. sed ex accidente et subiecto non sit unum per se. unde non resultat ex eo coniunctione aliqua natura cui intentio generis vel speciei possit attribui unde nomina accidentium concretive dicta non ponuntur in predicamento sicut species vel genera. ut album vel musicum nisi per reductionem: sed solum simili abstracta significant ut albedo et musica.

In hac tertia parte capituli huius determinatur quomodo accidentia se habeant ad intentiones logicas. et primo quomodo se habent ad esse in predicamento. deinde unde sumantur ex eis genus et differentia: quo ad primum ponit duas conclusiones. s. accidentia in concreto non sunt proprie in predicamento et accidentia in abstracto proprie sunt in predicamento. Ad quarum evidentiā sciendū est quod accidentia habent unum modum essendi. s. esse in alio. non enim sunt nisi insint alicui. habent autem duos modos intelligendi eo quod intellectus est natus ea que sunt admixta in re dividere. Intelliguntur enim quandoque co-intelligendo sibi subiectum cui insunt: et tunc intelligunt per modum accidentis eo quo taccidentis esse est in alio esse. Quandoque vero intelliguntur solitariae non co-intelligendo sibi eis subiectum cui sunt: et tunc intelligunt per modum substantie eo quo esse per se. i. solitariae soli substantie conuenit. Accidentia enim semper comite egent. Cum autem modus significandi non fundetur super modo essendi: sed intelligendi sicut habent duos modos intelligendi sic habent duos modos significandi: unde significantur quandoque consignificando subiectum: et tunc significantur per modum accidentis: et vocantur signifata in concreto: ut album nigrum etc. quandoque vero significantur ipsa sola absque. s. subiecti cōsignificatione: et tunc significantur per modum substantie: et vocantur signifata in abstracto ut albedo et nigredo. Abstractum enim et concretum in accidentibus: licet differat in modo significandi. i. penes consignificare subiectū et non consignificare aliud. Conveniunt tamen in significatione ipsius forme accidentalis. Album enim puram qualitatem significat sicut in predicamentis sicut et albedo: sed album significat albedinem in subiecto. Albedo autem significat albedinem absque illo: quia igitur accidentia in concreto totum coniunctum importat panta sicut albū albedinem in subiecto. Coniunctum autem hoc non est unum per se: sed unum et ens per accidens. id autem quod in predicamento reponitur debet importare unum et ens per se cum predictamenta dividant ens per se. 5^o metaphysice. textu commenti. 14. ideo accidentia in concreto non proprie reponuntur in predicamento. et hec est ratio qua in littera prima conclusio probatur que sic fortificari potest. nullum non importans ens: et unus per accidens est proprie in predicamento. concretus' accidentale importat unum et ens per accidens: ergo nomen concretus accidentale non ponitur in predicamento proprie et per se. Ad declaracionem minoris ponitur differentia patet concretum et accidentale et substantiale in hoc quod substantiale importat compositum ex materia et forma. et tales sunt unum per se et ideo reponitur in predicamento genus vel species. accidentale vero importat ex subiecto compositum et accidere quod est unum per accidens. ex accidente enim et subiecto non sit nisi unum per accidens: ut dicitur 7^o metaphysice. et ideo non debet poniri in predicamento nisi reducitur e modo quo res impura ad sue puritatem nature reducitur. Et sic remanet secunda conclusio vera quod accidentia s. in abstracto. In predicamento speciei generis predictionem suscipiunt. Alter omnino a predicamentis

accidentia sunt excludenda. Cum autem audis abstractum solam formam importare non ideo hoc dictum putas quod abstractum subiectum forme a se omnino excludat. hoc enim falsum est: sed ideo quia abstractum ex modo suo significandi quo solo differt a concreto non includit subiectum principaliter. sed secundario: et ex consequenti quo ex convenientia et differentia inter ea ex modo significandi persuaderi potest. Conveniunt enim in hoc quod tam abstractum quam concretum ex modo significandi important duo. s. quod et quo seu subiectum et forma. Idem enim importat diffinitio et diffinitum licet alio modo. Diffinitio autem utrumque importat utrumque dictorum ut exemplariter patet. similitatem enim dicimus curvitatem nasum et similem nasum curvum. quod autem hoc sit ex modo significandi ex eo clarum est quod tam abstractum quam concretum puram formam significat: ut in predictamentis testatur Aristoteles. Differunt autem abstractum et concretum ex varietate modi significandi in hoc quod concretum importat ex modo significandi principaliter subiectum et secundario formam. abstractum vero principaliter importat formam et ex consequenti subiectum. Advertenda namque est quod contrario ordine se habent subiectum et forma ad significationem nominis concreti et eius modum significandi. Importat enim concretum ratione significationis primo formam et subiectum non nisi ex sequenti copula quo ad modum vero significandi primo subiectum et ex consequenti formam importat. Unus signum est quod in diffinitione concreti exprimitur primo subiectum quam genus quod prima pars est ut genus diffiniti et forma. secundo loco ponitur quasi differentia. Dicimus namque et similem est nasus curvus. abstractum vero et ex significatione et ex modo significandi primo formam importat. Secundario autem et ex consequenti subiectum. In cuius signum in diffiniti diffinitione forma ipsa primo exprimitur genus. subiectum autem secundario loco differt ut patet. Cum dicitur similitas est curvitas nasus. oritur autem hec differentia ex eo quod concretum importat habitudinem inter subiectum et formam prout incipit a subiecto et terminatur ad formam. Abstractum vero importat habitudinem inter formam et subiectum prout incipit a forma. et terminatur ad subiectum ut in exemplis datis apparet. ex hoc enim quod habitudo importata per concretum importatur ex modo significandi ut incipies a subiecto sequitur quod primo importet subiectum a quo incipit et similiter ex hoc quod habitudo importata per abstractum important ex modo significandi ut incipies a forma consequens est ut primo importet formam a qua incipit. causa autem huius diversitatis est quia concreta ad composita significanda sunt inventa. Compositio autem a subiecto oritur. Abstracta vero inventa sunt ad significandas formas apud nos inventas simplices quidem. sed a quibus denominatio ad subiecta derivatur. unde et concreta compositum quid sonant. abstracta vero formas. ut cadentes tamen ad subiecta. non igitur propterea dictus est quod abstractum solam formam importet: quia nullo modo copulat subiectum: sed quia ex modo significandi compositum non sonat: nec principaliter importat ipsum subiectum quemadmodum concretum: sed extrinsece tantum ut terminum habitudinis formae significante. adverte hic quod de abstracto et concreto quomodo sunt in predicamento aliter metaphysicus et aliter logicus invidebit. Cum enim apud metaphysicum qui res sunt suas essentias considerat et non secundum modos intelligendi vel significandi abstractum et concretum non differant eo quod eadem res abstracte et concrete sit significata. Dicit ipse sicut abstractum. ita concretum et in genere esse. res enim per suam essentiam ingreditur vel egreditur genus metaphysiciter sumptum. i. rem generis et non per modum significandi. unde non dicit metaphysicus. Album esse eus per accidens. sed hoc album: ut patet 5^o metaphysice. textu commentori. 13. et 14. et 7^o eiusdem textu. commenti. 16. logicus autem qui non res sunt suas natu-

Quo dicit
secretū sub
stancialē et ac
cidentiale.